



**In Hoc Libello Pontificii Ora||toris continetur legatio, in
co[n]uentu Noremburgensi,|| Anno. M. D. xxij. inchoato,
sequenti vero finito ex-||posita, vna cum instructione ab
eodem legato|| ...**

Hadrian <VI., Papst>

Noremburgæ, 1523

VD16 K 320

92 Qvo Pacto Nonnvoli, Ecclesiastici, Pvblicas exercea[n]t tabernas, &
illicita corrodant lucra.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65406)

absq; concubinis degunt, concubinatus censum persolvere cogunt, afferentes, episcopum pecuniæ indigum esse, quæ soluta, licet sacerdotibus, vt vel celibes permaneant, vel concubinas alant, Quæ res hæc sit nephanda, nemo non intelligit.

QVO PACTO NONNVLII ECCLESIASTICI, PVBLICAS exerceant tabernas, & illicita corrodant lucra.

92 **Ecclesiastici** item, potissimū in his locis, vbi iurisdictionē habent, in templorum dedicationibus, publicas exercent tabernas, suisq; sacellanis & sacerdotibus, taxillos, chartulas lusorias, & quicquid ad ludum pertinet, conuiujs administrare, ac omni seposito pudore, illicitum inde percipere lucrum student: idq; superioritatis quodam iure sibi licere adserunt. Quancūq; Pontificum canones, imperatorum leges, omnesq; omnium prouinciarum magistratus vetent, ne ecclesiastici ita a decore & honesto deuiant, vt ijs se inuoluant negocijs, circa quæ vix laicos occupatos esse decet.

QVOMODO ECCLESIASTICI MORIBVNDIS, vt suos & legitimos hæredes defraudent, persuadeant.

93 **Inter cætera etiam hoc obtinendum est** nequaquæ, quum nō minimum sit onus, quo Germani grauantur, q̄ regionū peruagatores, quos vulgo Terminarios ac Stationarios vocant, monachi & sacerdotes, infirmos, animāq; iam iam agentes: ac præsertim eos, quibus æs esse in cista norunt, temporaliū bonis abundare compertum habent, blandiloquentia, adulatione, verbisq; venustulis: vt ad pessima quæq; hoc genus hominum semper plus æquo instructum est, atq; paratum: adoriuntur: circumueniunt, persuasionibusq; ficticijs eo tandem adducunt, q̄ sibi potiore, & pecuniarum & bonorum partem in testamentis legant, Qua re liberi, agnati, ac cognati, reliquiq; sui & legitimi hæredes, quib⁹ potius tota hereditas illesa relinquenda erat, contra omnem equitatē: mirū q̄ iactura adficiatur: interdūq; ad miseriam vsq; adigant.